

EPISTULA LEONINA

CCXXVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODETRICESIMAM (228) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	02
PERFER ET OBURA	03
CHRONOGRAMMATA FERIAE QUARTAE CINERUM (Demming, P. Douteil).....	04
DE STATU ORBIS PICTI HEXAGLOTTI COMPONENTI (Laes, LL).....	05-08
CONFESSIO MAUPASSANTIANA (Maupassant, Kniff).....	09-14
CHIONOLOGIA SEU HISTORIA NIVIS (I)	15-23
IOHANNIS KEPLER STRENA (II)	24-25
ECHUS VOCES EPISTULAE	26
ECCE LIBRI LEONIS LATINI	27-30

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.**


Cara Lectrix, Care Lector,

gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae.

Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus vehementer varia: verbum alatum Ovidianum, chronogrammata, lexicographica, narrationem Maupassantii animum mirabiliter commoventem decentissimê in Latinum conversam, alteram partem Strenae Keplerianae necnon Chionologiam. Nescisne quid sit Chionologia? Ergo lege symbolam – miraberis!

**Medullitus Te salutat
Dr. Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 21. m.Febr. a.2021**



PERFER ET OBDURA

DOLOR HIC TIBI PRODERIT OLIM

cfr CATULL, carmen 8, 11sq. Sed obstinata mente perfer, obdura. Vale, puella, iam Catullus obdurat,... . – cfr OV. Amores III, 11, 7: Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim. – id. Tristia V, 11, 7: Perfer et obdura, multo graviora tulisti. – cfr HOMERUS, Od. 20, 18. Τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

CHRONOGRAMMATA QUAE SPECTANT AD FERIAM QUARTAM CINERUM

CHRONOGRAMMA IOHANNIS DEMMING

Zum Aschermittwoch 2021

MEMENTO VSQVE VIVERE

hdf

CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL

Zum 17. Februar, dem Aschermittwoch und Beginn der Fastenzeit:

2021* DeVs MeVs et LVX CarItatIs et fontIs VerItatIs, ConversVs VIVIficabIs nos, et pLebs tVa LaetabItVr In te. - Wende dich zu uns, mein Gott und Licht der Liebe und des Quells der Wahrheit, du wirst uns Leben bringen, und dein Volk wird sich an Dir erfreuen.

2021* hoMInes natI MorItVrI qVoqVe erItIs. - Ihr Menschen, einmal geboren, seid auch zum Tod bestimmt. Variation zu pulvis es et in pulverem reverteris

2021* hoMIInIbVs totIs natIs teMpVs poenItentIae. - Für alle lebenden Menschen ist es die Zeit der Buße.

2021* Inops, hoDIe Infer rIte spatIVM poenItentIae et DIVInae pIetatIs. – Armer, heute beginne gebührend den Zeitraum der Buße und der gottgeweihten Frömmigkeit.

2021* VIDete: aDest totIs nobIs teMpVs Verae et pIae poenItentIae. - Seht, für uns alle ist die Zeit der wahren und gottesfürchtigen Buße gekommen.

DE STATU ORBIS PICTI HEXAGLOTTI COMPONENDI

Die Iovis, 18. m.Febr. a.2021 h.16:35:10

Christianus Nicolao suo !

Partem recentissimam de horto atque auturgia summo cum gaudio accepi -- ad quam in praesenti nullas habeo animadversiones. Opus fere perfectum, ut semper. Nonne paene ad finem pervenimus?

valeas valeasque

Christianus tuus

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History

Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp

Stadscampus · S.SJ.303 · Sint-Jacobsmarkt 13 · 2000 Antwerpen

B 2000 Antwerpen

d. Saturni, 20. m.Febr., a.2021, h.15:18:36

Nicolaus Christiano suo s.

Gratias tibi ago, quod me certiolem facis tibi cordi esse Orbem Pictum Hexaglottum eiusque compositionem. Nondum ad finem pervenimus, Vicepraeses optime. Multa restant tractanda, sed sumus bene progressi.

1) Primo restant quattuor capitula augenda et retractanda secundum editionem illius Lexici pentaglotti nobis exemplaris recentiore ("*Visual Dictionary*", QA international (a division of Les Éditions Québec Amérique inc.), Montréal/Québec - Canada a.2011), quae usque nunc tantummodo habent vocabula editionis prioris:

X. VESTIMENTA – XI. INSTRUMENTA PERSONALIA – XII. ARS ET ARCHITECTURA – XIII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA

2) Vocabula (definitiva - respectis animadversionibus commentatorum, quorum *Gaius Licoppe* est subtilissimus et perseverantissimus) subscribenda sunt imaginibus paginarum, quas a secretariâ domûs editoriae missum iri bene spero. Scilicet nostrâ plurimum interest Latinas voces aut collectas aut recenter confictas inserere; tamen etiam necessarium videtur mutare nonnullas voces recentiorum linguarum, quas parum rectas esse cognovimus. Vocabula francogallica attentê inspiciuntur a Gaio nostro; italica a *Victorio Ciarrocchi* semper promptê corriguntur et explicantur; quod attinet ad Anglicos terminos technicos, quidam studiosus Universitatis Ulmensis valdê sagax et eruditus iam commentatus est astronomicos, et paratus est ad alios quoque terminos recensendos.

In tali labore exanclando nequaquam sufficit linguam ipsam communem bene novisse; maximê valet provinciam technicam aut scientificam, de quâ agitur, sat bene nosse; at difficile est aliquem interpretem invenire tot rerum specialium, quot in hâc lexico denominantur, peritum; talis est corvus albus. Scilicet nos non posse retractare omnia vocabula moderna lexici Canadensis, quo utimur, sed ibi, ubi pro certo habemus terminos technicos parum rectê indicari, oportet corrigamus.

3). Procul dubio necesse erit componere tomum alterum, cui inerunt:
 a) index alphabeticus omnium nominum Latinorum huius Orbis Picti
 b) nomina 5 linguarum recentiorum singulis nominibus Latinis addita
 c) interpretamenta Latina, etyma, loci testes (quantum fieri poterit)

Haec hactenus in praesenti. Scribas mihi, care Christiane, quid tibi in buccam venerit.

Pancraticê vale.

Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus.

AUTURGIA & HORTUS¹

PONS Bildwörterbuch 2.ed., Stuttgart 2014, p.242-295.
ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:

PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch.

Stuttgart (Ernst Klett Sprachen), ed.2, a.2014

= id., **The Visual Dictionary, Montreal/ Québec/Canada** (QA International, a division of Les Éditions Québec Amérique inc.) ed.4, a.2011.

In hōc Orbe Picto mirabili 40.000 (quadraginta milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 1071 (mille septuaginta unâ) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM – IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA VII. COQUINA – VIII. DOMESTICA – IX. AUTURGIA & HORTUS – X. VESTIMENTA – XI. INSTRUMENTA PERSONALIA – XII. ARS ET ARCHITECTURA – XIII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIV. TRANSPORTATIO ET VEHICULA – XV. ENERGIA – XVI. SCIENTIAE – XVII. SOCIETAS: URBS – XVIII. POLITICA – XIX. ARMA – XX. SECURITAS – XXI. VALETUDO – XXII. AFFINITAS & CONSANGUINITAS. - XXIII. ATHLETICA I - XXIV. ATHLETICA II – XXV. ATHLETICA III– XXVI. ATHLETICA IV – XXVII. ATHLETICA V – XXVIII. DISPORTUS & LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt

¹ cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII); EL 185, p.21-27 (IX); 186; 187; 188; 189; 190; 191; 192; 193; 194; 195; 196.; 197. cfr indices: AUTOBIROTA & BIROTA. – FERRIVIA – NAVIS – AEROPLANUM – MACHINA – ENERGIA – SCIENTIAE – URBS – POLITICA – ARMA – SECURITAS – VALETUDO – AFFINITAS ET CONSANGUINITAS – ATHLETICA I. - ATHLETICA II. – ATHLETICA III – ATHLETICA IV – ATHLETICA V – DISPORTUS ET LUDICRA. – ASTRONOMICA – TERRA – PLANTAE. - BESTIAE – HOMO – NUTRIMENTA - COQUINA. – DOMUS.

vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas novam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

**DE STATU
ORBIS PICTI HEXAGLOTTI
SCRIPSIT
LEO LATINUS**

CONFESSIO MAUPASSANTIANA A IOHANNE KNIJFF LATINE REDDITA

Johannes Leoni s.p.d.

En habes, mi bone Leo, variis modis electronicis, confessionem meam, vel potius Maupassantii, vel potius Margaritae Therelliae.

Mea quidem sententia fabella est Maupassantissima, de amore enim agitur, de odio, de nece horribili...

Horrenda certe lectu, sed, ut ait Carus ille noster, Suave mari magno turbantibus aequora ventis e terra magnum alterius spectare laborem!

Ceterum narratiuncula Francogallice scripta [hic](#) inveniatur.

Optime vale!

==

CONFESSIO

*Narratiuncula a Guidone de Maupassant narrata
dataque in lucem a.d. 12 Kal. Nov. anno 1883
anno 138 post a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

Margarita Therellia moritura erat. Anno quinquagesimo septimo nondum exacto aspectum habuit aniculae annos habentis minimum septuaginta quinque. Anhelabat, pallidior quam lintea, tremoribus agitata terribilibus, facie convulsâ, oculis turbatis, velut nescioquid horribile ei apparuisset.

Susanna, soror eius sex annis maior natu, genibus nixa iuxta lectum flebat. Mensula iuxta cubile aegrotantis posita duas candelas in manteli sustinebat accensas; exspectabatur enim sacerdos extremam praebiturus unctionem necnon eucharistiam ultimam.

Diaeta erat aspectu isto sinistro cubiculorum, quae inhabitantur a morientibus, isto aëre, in quo valedicitur desperatê. Lagunculae undique in supellectile iacebant, in angulis lintea, ictu pedis vel scopis pulsa. Ipsae sellae turbatae visae sunt pavidae, tamquam in omnes discurrissent partes. Dira aderat mors; latens adhuc exspectabat.

Historia sororum movebat animos. Procul narrabatur multisque lacrimas excusserat oculis.

Susannam, maiorem natu, dementer olim amaverat adolescentulus quem amabat et ipsa. Sponsi fuerunt; exspectabatur dies tantum nuptiarum, cum Henricus Sampetri subito mortuus est.

Arox erat iuenculae desperatio; iuravit illa numquam se nupturam. Promissum servavit. Viduae vestem induit neque umquam deposuit.

Igitur soror eius, sororcula eius Margarita, tertium decimum vix agens annum, vênit quodam mâne se iactum in bracchia maioris natu, “Soror maior,” dicens, “nolo te esse miseram. Nolo te plorare totam tuam vitam. Numquam te relinquam, numquam neque umquam! Neque viro nubam ipsa. Semper tecum remanebo, semper semperque.”

Susanna osculata est eam, studio puellae animo mota, neque ei credidit.

Parvula autem, etiam promissum servans, precibus parentum, maioris natu precibus nihil obstantibus, numquam nupsit. Venusta fuit, venustissima; respuit adolescentulos, a quibus amari videretur; numquam postea sororem deseruit.

* * *

Unâ vivebant totam suam aetatem neque semel quidem inter se discesserunt. Ibant iuxta, seiungi nullo modo poterant. Margarita autem semper tristis visa est, maesta, tristior quam maior natu, quasi fortasse sacrificio augusto esset fracta. Celerius consenuit, capilli illi inde ab anno tricesimo canescebant; atque saepius aegrotans quodam malo incognito afflicta evidenter tabescebat.

Nunc illa prima moritura erat.

Iam diem noctemque ne verbum quidem locuta erat. Aurorâ primâ lucente tantum “Age, abi,” dixerat, “arcesse sacerdotem, adest hora!”

Resupina remanserat, convulsionibus commota, labris agitatis, quasi verba e corde ascendissent terribilia, quae exire nequirent, vultu territo, visu atroci.

Soror eius, lacerata dolore, mentis vix compos plorabat, capite orae lecti innixa, atque iterum iterumque “Margaritula,” inquit, “mea misella Margaritula, mea parvula!”

Semper ‘meam parvulam’ eam appellaverat, item minor semper ‘sororem maiorem’ illam.

Auditi sunt gradûs in scalis. Ianuâ apertâ symphonicus apparuit puer, sequente sene sacerdote, stolâ albâ induto. Simulac animadvertit moribunda statim consedit, labra aperuit, duo vocabula balbutivit triave, coepitque lintea unguibus scalpere, quasi eadem vellet perforare.

Cui pater reverendus Simon appropinquavit, manum cepit, frontemque eius osculatus voce submissâ “Deus,” inquit, “tibi ignoscet, mea puella; fortis esto, en adest hora, loquere.”

Margarita igitur, toto corpore tremens totumque lectum agitans convulsionibus suis stomachosis “Conside, soror maior!” balbutivit. “Ausculata!”

Sacerdos sese inclinavit ad Susannam, adhuc ad imum lectum demissam, latam in sellâ posuit atque alterâ alterius sororis manum, alterius alterâ sumptâ manu “Domine Deus,” oravit, “fortitudinem largire iis; et effunde super eos misericordiam tuam.”

Atque Margarita orsa est. Verba faucibus unum post alterum egressa sunt, rauca, declamata, quadamtenus defatigata.

* * *

“Ignosce, ignosce, soror maior, ignosce mihi! O, si scires quantum hanc timuerim diem per totam meam vitam!...”

Susanna lacrimas inter “Quid tibi,” balbutivit, “ignoscendum, parvula?! Immo omnia mihi dedisti, omnia sacrificasti; angela es...”

At Margarita eam interpellavit: “Tace, fac taceas! Sine me loqui... noli me cohibere... Atrox est... sine me omnia eloqui... usque ad finem...”

noli me retinere... Ausculta... Memoriâ tenes... tenes memoriâ... Henricum...”

Susanna contremuit sororem aspiciens. Minor “Necesse est,” iteravit, “omnia audias ut intellegas. Tertium decimum agebam annum, tertium tantum decimum, bene memoriâ tenes, nonne? Indulgentiâ cum corrupta essem, omnia feci quae cupivi!... Nonne memoriâ tenes, quomodo me corruerint indulgentiâ?... Ausculta... Cum primum vênit, caligas habuit ille ceratas. Ante scalas de equo descendit. Rogavit, ut vestis sua excusaretur, sed venerat aliquid novi allatum patri. Memoriâ tenes, nonne?... Ne quid dixeris... ausculta. Statim ut eum vidi, tota amore eius capta sum, tam pulcher mihi est visus. Consistens remansi in atrii angulo dum loquebatur. Miri sunt parvuli... atque terribiles... O, certê... de eo somniavi!

“Revênit... saepius... oculis torvis eum aspexi, toto animo... sat adulta fui, etsi tertiam decimam tantum agens annum... necnon callidior quam quisquam credebat. Saepissimê revênit... Tantum de illo cogitavi. Submissimâ voce ‘Henricum,’ dicebam, ‘Henricum Sampetri!’

“Dein dixerunt te ab eo in matrimonium ductum iri. Quam vehementer dolebam!... O, soror maior... dolebam... dolebam! Tres plorabam noctes neque dormiebam. Cottidie revêniebat, post meridiem, pransus... memoriâ tenes, nonne! Ne locuta sis... ausculta! Parabas illi liba, quibus maximê delectabatur ille... ex farinâ, butyro, lacte facta... O, non nescio quomodo... Etiamnunc parare scirem, si opus esset. Integra inglutiebat, poculo vini comitante... dein ‘Sapidissimumst!’ inquebat. Memoriâne tenes, quomodo hoc dixerit?

“Aemulabar, vehementer aemulabar!... Dies appropinquavit nuptiarum. Duae tantum septimanae superfuerunt. Amens facta sum. Intra me ‘Non ducet,’ dicebam, ‘Susannam, minimê fiet, nolo!... Immo ego sum quam ducet in uxorem cum adolevero. Numquam inveniam, quem sic amem...’ Quodam autem vespere, decimo die ante nuptias, circumambulabas cum illo ante villam, lunâ lucente... atque illic... sub pino, magnâ sub pino... te osculatus est... te osculatus est... ambobus amplexus bracchiis... tam diu... Memoriâ tenes, nonne! Fieri

vix potest quin tum primâ hoc fecerit vice... certê... Tam pallida in atrium rediisti!

“Vos vidi; fui illic, in luco, furore amens! Si quidem potuissem, vos occîdissem!

“Intra me ‘Non ducet Susannam,’ dixi, ‘numquam! Neminem ducet! Nimis essem infelix...’ Et subito eum odisse coepi atrociter.

“Scin’ ergo, quid fecerim?... ausculta. Topiarium videram globulos parantem, quibus canes necaret vagabundos. Lagoenâ fractâ atque lapide molitâ pulverem vitreum indidit globulo carneo¹.

“Lagunculâ medicamentariâ apud matrem sumptâ malleoque contusâ vitrum in sinum abdidit meum. Pulvis micabat... Postridie eius diei, libis, quae paraveras, cultro diffissis indidit vitrum... Comêdit ille tria... ego ipsa unum... sex quae supererant in stagnum conieci... cycni duo mortui sunt tertio die post. Memoriâne tenes?... O, ne locuta sis... ausculta, ausculta... Ego sôla mortua non sum... semper autem aegrotabam... ausculta... Mortuus est... haud nescis... ausculta... id quidem nihil fuit... Postea, multo post... semper... maximê horribile... ausculta...

“Vitam meam, totam meam vitam... quantos passa sum cruciatûs! Intra me dicebam: ‘Numquam sororem deseram meam. Atque omnia ei confitebor in horâ mortis...’ Ecce. Atque ex eo puncto temporis semper cogitavi de eâ die quo cuncta eram confessura... Ecce tempus idoneum... Horribile dictu... O!... soror maior natu!

“Semper cogitabam, mâne et vesperi, noctuque interdique: ‘Debebo hoc illi olim confiteri...’ Exspectabam... Quanti cruciatûs...! Factum est... Ne quid dixeris... Iam timeo... timeo... o, timeo! Si illum revisura sum, mox mox, mortua cum ero... Illum revidebo... Tune de hac re cogitas?... Ego prima nostrum!... Non audebo... Opus erit... Moritura sum... Volo te mihi ignoscere. Volo... Nisi hoc feceris, non potero

¹**globulus carneus**, orig. *boulette de viande*. cfr Helfer, *Lexicon auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.208: Fleischklößchen globulus carneus.

coram illo apparere. O! Iube eam mihi ignoscere, pater reverende, te precor. Sine hōc mori non possum...”

* * *

Conticuerat illa anhelans, unguibus lintea scalpens acutis...

Susanna faciem manibus occultaverat neque se movit. Cogitavit de illo, quem tot annos amare potuerat! Vitam habuissent quam beatam! Iterum eum vidit, tempore peracto evanescentem, praeteritis perpetuo extinctum. O amores mortui, ut laceratis corda! O, osculum illud, unicum illud eius osculum! Quod conservaverat in corde suo. Tum nihil, nihil umquam per totam suam vitam!...

Surrexit subito sacerdos voce forti tremebundâ “Dominula Susanna,” clamans, “soror vestra moriturast!”

Igitur Susanna, aperiens manûs, faciem monstravit lacrimarum plenam; atque se praecipitans in sororem omni vi osculata est eam, “Ignosco tibi,” balbutiens, “parvula, ignosco tibi...”

CONFESIONEM

MAUPASSANTIANAM

E SERMONE FRANCOGALLICA

IN LATINUM CONVERTIT

IOHANNES KNIJFF


BATAVUS AMERICENSIS

CHIONOLOGIA¹

SEU

HISTORIA NIVIS

<https://de.wikipedia.org/wiki/Schnee>



¹ cfr Johannes Gebhard, *Chionologia, h.e. Nix, aquarum spuma celestium, Philippaea thematis simplicis methodo, face item historicâ, à nonnullis Elisabetani Gymnasii ἐντροφόροις*, a.d. XVI. Decembr. MDCLX, horis ab VIII. antemeridianis, contemplanda, praemonstrante Johanne Gebhardo. Vratislaviae a.1660.

NIX, quod est genus praecipitationum solidarum frequentissimum, constat ex crystallis glaciei subtilibus.

Index argumentorum

- **1 Etymologia**
- **2 Quomodo fiat crystallus nivalis**
- **3 Flocci sive plumae nivales**
- **4 Nivis casus sive nivacidium**
- **5 Nivacidii intensitas**
- **6 Nivis Liquefactio**
- **7 Nivis generum distributio**
 - **7.1 secundum aetatem**
 - **7.2 secundum umorem**
 - **7.3 secundum colorem**
 - **7.4 secundum densitatem**
 - **7.5 secundum locum et originem**
- **8 Qualitates nivis thermicae**
- **9 Nix quantum valeat**
 - **9.1 ad clima et circumiecta**
 - **9.2 ad homines**
- **10 Nivis investigatio**
 - **10.1 Historia nivis investigandae**
 - **10.2 Nivis mensurationes**
- **11 Securitas nivalis**
- **12 Calamitates nivales**
- **13 Nix quomodo exhibeatur ab artificibus figurativis**
- **14 Trivialia**
- **15 Litterae**

1 Etymologia

NIX, **NIVIS** f. appellatur palaeotheidiscê *snēo*, cuius verbi genitivus est *snēwes* (octavo saeculo), mesotheidiscê *snē*, in vetere sermone Germaniae inferioris *snēo*, mesobatavicê *snee*, batavicê *sneeuw*, palaeoanglicê *snāw*, anglicê *snow*, palaeonordicê *snær*, *snjōr*, sueticê *snö*, goticê *snaiws* (germanicê **snaigwa-*) russicê *sneg* (*снег*), lituanicê *sniẽgas* 'nix', cfr vox homerica, quae est ἀγάννιφος (i.q. nivosus) necnon accusativus graecus, qui est *nípha* (*νίφα*), cymricê *nyf* 'nix'. - Suppleatur verbum sanscritum *sneha-*, quod non valet nivem, sed gluten, viscositatem, attractivitatem, amicitiam, amorem¹. Has significationes alii etymologi (velut *Benveniste* et *Gonda*) dicunt fuisse iam originaliter indoeuropaeas, alii (velut *Walde*, *Frisk*) opinantur Indos antiquos, cum propter clima suarum regionum mitius nivem potius novissent liquidam quam solidam, ipsos talem mutationem semanticam effecisse. Ergo incertum est, qui sensus verbi sit originalis et qui sit translatus². Omnes formae sunt voces abstractae per apophoniam confictae ex verbo indoeuropaeo, q.e. ***sneig^h**-.

Ceterum nomen nivis sancriticum est *hima-*, quod radicem indoeuropaeam communicat cum nomine nivis graeco, q.e. *χίων* (*G. χιόνος*), et cum latino verbo alius sensus, q.e. *hiems*; sed nomen anglicum et germanicum *winter* tantummodo invenitur in linguis germanicis (goticê *wintrus*). Verbum sanscritum *hima-* inest etiam

¹ cfr Sir Monier Monier-Williams, A Sanskrit-English Dictionary, Oxford 1899, Reprint 1979, p.1267, col.b: "**Sneha**, m. (or n., g. ardharcâdi, ifc<= in fine compositi> f. ā) **oiliness, unctuousness, fattiness, greasiness, lubricity, viscosity** (...) ...; oil, grease, fat, any oleaginous substance, an unguent, ...smoothness, glossiness, ...blandness, **tenderness, love, attachment to, fondness or affection for..., friendship with...**; moisture; ...a fluid of the body, ..." - cfr op.mem., p.1267, col.a sq.: "**snih**, ...**snihyati**...to be adhesive or sticky or glutinous or viscid or moist... to be fixed upon...to be attached to or fond of, fee atfection for..., Causative ...snehayati ...to make unctuous or greasy or moist...to render pliant or subject, subdue; to kill, slay.."

² cfr Walde/ Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 5.Auflage, 2.Band, Heidelberg 1972, p.170, s.v. ninguit: „Vergleiche noch mit unklarer Bedeutungsentwicklung altindisch **snihyati** „wird feucht, klebrig, heftet sich, empfindet Zuneigung“...**snehah** „Klebrigkeit, Glätte, Öl, Fett, Zuneigung“ (**Mittelbegriff** „**zerschmelzen**“? [Walde LEW 520] oder „glänzen“? [Uhlenbeck, Altindisches Wörterbuch s.v.] --- cfr Hjalmar Frisk, Griechisches Etymologisches Wörterbuch, tom.II (KQ-Ω), Heidelberg 1991, p.298sq, s.v. νείφει: "**Hinzu kommt, in der Bedeutung abweichend, das schwundstufige altindische Jotpräsesns snihyati** `wird feucht, klebrig, feuchtet sich', übertragen ‚empfindet Zuneigung', wozu *sneha-* `Klebrigkeit, Zuneigung, usw.', mit einer vom milden Klima verursachten Bedeutungsverschiebung wie auch im Keltischen (s. oben: altirisch *snigid* ‚es tropft, regnet'); Ähnliches im Griechischen, z.B. Nonn. *D.* 22, 283 αἵματι νείφεις vom klebrigen Blute, Lyc. 876 ὀμβροῖα νεφάς vom Regenschauer. Anders **Benveniste** *Mνήμης χάριν* 1, 35 ff.: **ursprüngliche Bedeutung von indogermanisch * sneig^{wh}-** `(se)coaguler, (se) conglomerer'; **ähnlich Gonda** *KZ* 72, 228 ff. **Über Spuren der Bedeutung `Schnee' im Mittelindischen (Präkrit *sineha-* `snow' etc.)** Turner *BSOAS* 18, 449ff. and 19, 375; s. Mayrhofer *A.I.O.N.* 1, 235).

nomini illius tractûs montium illustrissimi, qui nuncupatur *himālaya-* (i.e. *hima-* + *ālaya-* i.q. nivis sedes)³.

2 Quomodo fiat crystallus nivalis




Nix oritur, si in nubibus guttulae aquae frigidae accumulatur ad germina crystallisationis (velut ad particulas pulveris) ibidemque congelantur. Sed hic processus non fit nisi temperaturis infra duodecim gradûs sub zero; aqua autem, nisi adsunt germina crystallizationis, remanere potest liquida usque ad duodequingenta gradûs sub zero. Crystalli glaciei hōc modo exortae, quae minores sunt decimâ parte unius milimetri, massâ augescere decedentes propter differentiam pressionis vaporariae glaciei et aquae refrigeratae pergunt augeri. Vapor aquae, quae aëri inest, resublimatur, id est directê transit in glaciem ideoque auget crystallos crescentes. Quo oriuntur formae crystallorum sexangulae bene nôtae. Propter structuram molecularum aquae specialem in his crystallis efformandis nulli anguli fiunt nisi exactê sexaginta aut centum viginti graduum.




³ cfr Sir Monier Monier-Williams, op.mem., p.154, col.a, s.v. **ā-lī-**: “ā-lī, Ā. **-līyate**, to come close to; to settle down upon; to stoop, crouch, MBh; Hariv.; Ragh.; &tc. **Ālāya**, as, m. and -am, n. a house, dwelling; a receptacle, asylum, R.; Yājñ.; Kathās. &tc; (often in fine compositi, e.g. **himālaya**, ‘the abode of snow.’....”

Forma crystallorum nivalium varia pendet a temperaturâ – quae si est inferior, oriuntur laminulae aut prismata, si est superior, dendritae sex brachiorum (stellulae glaciales vel nivales). Etiam umiditas aëris valet ad crescentiam crystallorum. Si formantur crystalli nivales, in nube augetur temperatura, nam congelando crystalli reddunt calorem (calorem crystallisationis), cum evaporando calorem recipiant.



Si ascendit ventus calefactus, crystalli compluries verticaliter ita moventur per atmosphaeram terrestrem, ut partim liquefiant et denuo fiant crystalli. Inde regularitate crystallorum sublatâ efformantur formae intricatê inter se mixtae. Quae sunt mirabili multiplicitate. *Wilson A. Bentley* ex anno 1885 plus quinque milia crystallorum nivis variarum photographavit. Primus omnium homo crystallos nivales photographans videtur fuisse *Iohannes Henricus Flögel*, idque factum est a.1879. Verisimile est numquam fuisse duas crystallos nivales complexas, quae inter se essent exactê aequales. Huius multiplicilitatis causa est enormis varietas singularum qualitatum. Una tantum pluma nivalis continet circiter 10^{18} moleculas aquae, in quibus sunt circiter 10^{14} atomi deuterii. Etiam intra visum microscopii luminaris facile iam centum notae inter se distinguuntur, quae efformari possunt variis locis. Quibus inter se combinatis efficiuntur permultae varietates; itaque formae crystallorum complexarum possibles sunt perquam numerosae, longê numerosiores quam atomi in universo versantes.

Haud minus mirabilis quam multiplicitas formarum est symmetria insignis, quâ nonnullae crystalli nivales sunt similitudine sui ipsius stupendâ; quo factum est, ut fierent exempla geometriae fractalis (cfr curva Kochiana).



Ramificationes diversae in aliquâ crystallo nivali interdum crescunt simili modo similique cum velocitate, etiamsi earum apices, in quibus pergunt crescere, saepe distant compluribus milimetris. Hoc nisi putamus effici posse vi mutuâ apicum inter se distantium, explicari potest eo, quod in variis apicibus germinum crystallizationis inter se comparabilibus interdum condiciones crescendi valere inter se sat similes. At multo saepius quam flocci nivales formosê symmetricae inveniuntur asymmetricae et deformes. Hoc hominibus chionologiae imperitis mirum videtur, quia formae regulares multo saepius photographantur et ostentantur quam irregulares.

Maxima crystallorum nivalium complexitas¹ apparet, si magnus est umor aëris, quia îdem crescentiam permittit structuris subtilioribus. Si temperaturae sunt valdê gelidae, crystalli glaciales non solum sunt minores et simplicius constructae, sed etiam multo minus nivis cadit quam si temperaturae valent puncto congelandi vix inferiores, quia in aëre gelidissimo vix restat aliquid umoris.

¹ +**complexitās**, -ātis f. cfr Klaus Demmer, M.S.C., Ius Ecclesiae – ius gratiae. Animadversiones ad relationem inter ius canonicum et ethos christianum, in: Periodica de re morali canonica liturgica, edita a professoribus Pontificiae Universitatis Gregoriana, Tom.LXVI, 1977, fasc.I, p.26: “Prima cum deficientia technica iuris connectitur; ordinatio iuridica **complexitatem** realitatis moralis adaequare numquam et nullo modo potest;...”

3 Plumae sive flocci nivales

Si temperatura aëris est puncto congelandi propinqua, singulae crystalli glaciales guttulis aquae inter se conglutinantur, ut orientur plumae nivales, quae aliquatenus similes sunt flocco bombacii¹. Si aer est siccus, nix in stratis aeris frigidioribus genita, etiamsi temperatura 5 graduum supra zerum valet, tamen non liquescit antequam terram attingit, quia pars flocci sublimatur energiâ absumptâ ideoque floccus restans refrigeretur. Ex alterâ parte interdum fit, ut pluvia cadat, quamvis temperatura valeat sub zero; quae pluvia congelascit. Talis effectus interdum appellatur *glacies fulgurea*. Haec phaenomena pendent ex structurâ et stabilitate stratorum aëris superiorum et inferiorum, a peculiaritatibus geographicis necnon meteorologicis, quales sunt guttae aëris frigidi. Si temperaturae sunt inferiores, flocci non orientur nisi minimi, quae appellantur **glareolae nivales** (*Schneegriesel*).

Nix est coloris candidi, quia constat ex crystallis glacialibus. Omnis crystallus singula – ita ut glacies ipsa – est pellucida; lumen omnis longitudinis undarum visibilis ad areas crystallis glacialibus et aëri interiectas reflectitur et dispergitur. Ita fit, ut crystallis glacialibus relatione positionis mutuae fortuitâ accumulatis lumen diffusê reflectatur; itaque nix apparet esse colore candido. Similis effectus etiam apparet in sale aspectando, si comparas aspectum salis pulverati cum crystallis salis maioribus.

Diametrus plumarum nivalium media est quinque milimetrorum, pondus eiusdem medium est quattuor miligrammorum. Quo altior fit temperatura, eo maiores fiunt flocci, quia crystalli liquescentes inter se conglutinantur, ut orientur flocci magni. In famoso illo libro Guinnessiano indicatur floccus omnium maximus, qui umquam litteris mandatus sit, fuisse diametri 38 cm (duodequadragesima centimetrorum).

Si qui floccus nivalis in aquam incidit, stridula vibratio fit ultrasonica² homini inaudibilis frequentiae, quae est inter quinquaginta et ducenta hertzia. Sed non omnes chionologi confirmant hunc effectum.

¹ **floccus** ***bombacii** i.q. orig. *Wattebausch*.

² **vibratiō ultrasonica**, orig. *Ultraschall*. Latinitas 1983, p.18.

4 Casus nivis sive nivacidium



Quia flocci nivales magnâ sunt superficie ideoque altâ resistantiâ aëris, cadunt lentê, habent enim cadentes velocitatem circiter 4 chiliometrorum horalium – compares nivis casum cum pluviae, quae est gravitatis mediae: eadem cadit velocitate circiter viginti chiliometrorum horalium, grando autem potest cadere etiam multo velocius. Velocitas cadendi floccorum nivalium vix pendet ab eorum magnitudine, nam floccorum superficies augetur paene proportionaliter ad magnitudinem, quo resistantia aëris manet ferê constans. Nive cadente materia microplastica, quae aëri inest, humum trahi potest.

Crystalli, ut omnia obiecta quae sunt formâ irregulari, solent ita cadere, ut praeceps deiciatur latus earum planissimum. Hoc primo visu videtur rationi contradicere, quia obiecta moventur secundum resistantiam aëris minimam. Hoc profecto fieret, si latus flocci nivalis planum semper esset sensu exactê parallelo ad directionem cadendi versum. At valdê verisimile est floccum cadentem turbulentiis minoribus declinari a directione cadendi. Quia îdem aëre circumfluitur, floccus nivalis duabus viribus ita vertitur, ut latus eius


planum dirigatur deorsum. Eidem mechanismo obnoxia sunt folium ex arbore decidens, folium chartae, quod e manu sinimus decidere, necnon *lamina Rayleighiana*, quâ velocitas soni mensuratur. Itaque flocci nivales plâni solent cadentes titubare; si veniunt in auram ascendentem, e.g. in aëra, quae expiratur aut prope frontem domûs calidam, incipiunt quodammodo facere saltatiunculam stationariam.

Alius effectus circumfluxionis turbulentae est propensio floccorum nivalium aliorumque obiectorum, quâ unum aliud sequens tandem assequitur. Aliqua crystallus nivalis, quae in zonâ verticosâ venit post alteram, per hanc zonam accelerata tam velociter cadit, ut cum alterâ collisa conglomeretur, similiter ac birotarius post alterum in umbrâ venti vehens minore vi incitatoriâ eget ad velocitatem servandam. Aves gregales formâ litterae V volantes utuntur fluxu aëris sursum directo, qui fit ad latera exteriora verticum marginalium uniuscumque praevolantis, ut volent ad perpendiculum energiae parcentes. At si particulae nivis sunt tantulâ parvitate, quantulâ sunt pulvisculi, solent cadere sine turbulentiâ circumfluentiali; *numerus* autem *Reynoldianus*, quod est productum longitudinis et velocitatis et viscositatis, deinde est perparvus, tantulus, quantulus est numerus Reynoldianus globorum chalybeorum melli impositorum.



HAEC FUIT
CHIONOLOGIAE
 PARS PRIMA
 ALTERA PARS
 SEQUETUR

IOHANNIS KEPLERI STRENA SEU DE NIVE SEXANGULA (II)¹



IOHANNES KEPLER

Qua de re, cum esset mihi sermo cum quodam nuper, primum **p.6.** inter nos convenit, causam non in materia quaerendam, sed in agente. Materia enim nivis est vapor, is dum oritur ex terra, calore quodam suo subvectus, non alius quam continuus & quasi fluidus est: non igitur distinctus in singulares huiusmodi stellulas.

Quaeras, unde hoc sciam? Cum si talis etiam sit vapor, id oculis cerni non possit, quia vapor pellucidus. Respondeo: Vapor existit ex resolutione humoris subterranei, quod arguitur ex eius levitate & ascensu. In resolutione verò figurae non habent locum. Id enim habet figuram ex se quod se ipso terminatur, cum termini figuram constituent: vapor, resolutione facta ex generibus humidorum est, & fluit, hoc est, se ipso non terminatur, nullam igitur figuram retinet, donec condensetur in nivem vel guttam.

Cum igitur constaret, causam inditae figurae sexangulae esse penes agentem, dubitatum porrò fuit, quodnam id esset agens, & quomodo

¹ cfr Pars Prima, EL 227, p.17-21.

ageret, num ut forma insita, an ut efficiens extrinsecum: num ex necessitate materiae efficeret figuram sexangulam an ex sua natura, puta cui congenitus sit vel archetypus pulchritudinis quae est in sexangulo, vel finis notitia, ad quem ista forma conducat?

Ut pateat harum quaestionum discrimen, utamur exemplis nobilibus: sed geometricè descriptis. Nam ad quaestionem nostram plurimum faciet excursus iste.

Apum alveoli. Si ex Geometris quaeras, quo ordine structi sint Apum alveoli, respondebunt, ordine sexangulo. Simplex est responsio ex intuitu simplici foraminum seu portarum, laterumque, quib. efformantur alveoli. Circumstant .n alveos singulos, sex alii, singulis laterib. de intermedio singuli communicantes. At ubi fundos alveolorum fueris contemplatus singulos trinis planis in obtusum descendere videbis angulum. Fundum hunc, (carinam potius nuncupes), cum senis alveoli laterib. copulant. Sex alii anguli tres altiores trilateri, planèque similes imo carinae angulo, tres humiliores quadrilateri interiecti. Praeterea considerandum est geminum esse Alveolorum ordinem, portis aversis in contraria, posticis inter se contiguis & stipatis, angulis carinarum singularum ordinis unius, inter angulos tres trium carinarum ordinis alterius insertis, ea arte, ut alveus quilibet non tantum sex lateribus communicet cum senis alveis (**p.7**) in eodem ordine circumstantibus, sed etiam trinis in fundo planis cum tribus aliis alveis ex ordine averso. Ita fit ut apes singulae novem habeant vicinas, à qualibet uno communi pariete distinctae. Plana carinarum trina, omnia inter se similia sunt, eius figurae, quam Geometrae Rhombum appellant.

**HAEC FUIT
STRENAE
KEPLERIANAE
PARS ALTERA
TERTIA PARS
SEQUETUR**



ECHUS VOCES EPISTULAE

Johannes Leoni s.p.d.

Pro versione data in lucem – non hercle sine colloquio electronico comitante – necnon pro tua emendatione gratias, mi bone Leo, plurimas tibi ago.

Scito me iam coepisse vertere narratiunculam Maupassantianam pol quartam cui index “Confessio.” De amore fabula, tum de invidia horribili, de amore rursus. Dis volentibus versionem mox ad te mittam.

Tu interim athleticè valeas cura.

Leo Johanni sal.pl.

Gratulor tibi, mi optime, de vi tua creatrice. Nam pro certo habeo bonam versionem nequaquam esse opusculum psittacinum, sed fieri non posse nisi quadam cum creativitate. Gaudenter exspecto opera tua. Utinam incepta tua succedant feliciter! Medullitus te salutat Leo Latinus.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODETRICESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 21. m.Febr. a.2021

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae